

EUGENIUS TERTIUS

P A P A CLXVII.

ANNO DNRÆ CHRISTI COM. MCXLV.



Petrus Bernardus, natione Pisanus, Monachus Cisterciensis, & Abbas Monasterii SS. Vincentii & Anastasii ad Aquas Salvas, electus est Romanus Pontifex, & in Apostolica Sede collocatus die 27. Februarii 1145. & Eugenius Tertius nuncupatus, Arnaldistarum Senatorum perverfa fugiens consilia. Consecratus est in Monasterio Farfensi, in Sabinis posito, die 4. Martii, qua Romæ consecrari debebat. Sedit in Pontificatu annos viii. mens. iv. dies x. imperantibus, in Oriente Manuele Comneno, in Occidente verò Conrado III. mox Friderico I., quem Anobarbum vocant. Fecit ordinationes per mensem Decembrem, in quibus Diaconos decem, Presbyteros undecim, & Episcopos sexaginta unum creavit. Defunctus est apud Tibur (a) die octava Junii 1153., & inde per stratum publicam, & mediam Urbem, atque in Vaticanum, cum totius Cleri & populi Romani frequentissima turba, maximo luctu, communicque omnium immensa tristitia deportatus est,

(a) Ut legit Baronius in veteri Codice Bibliotheca Vaticana.

& in ipsa B. Petri Ecclesia coram majori Altari tumultus. Non vacavit Sedes.

I.

Confirmatio privilegiorum a Conrado III. aliisque Regibus, & Imperatoribus Ultrajectinæ Ecclesiæ concessorum.

Eugenius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectus filius, Decano, & Capitulo Ecclesiæ Trajectensis, gratiam, gloriam, & Apostolicam benedictionem.

Edidit M. r. us Opera. Diplom. Te. l. pag. 532.

Supplicatio charissimi in Christo filii Conradi III. Regis Romanorum Illustris, nobis per dilectum filium Conradum ipsius fratrem, vestræ Ecclesiæ Prepositum, propter hoc ab eodem Rege ad Romanam curiam\*, continebat, ut privilegia, per Romanorum Reges & Imperatores antecessores suos Ecclesiæ vestræ concessa, necnon privilegium ab ipso Ecclesiæ vestræ predictæ concessum, auctoritate Apostolica dignemur confirmare, cujus privilegii tenor talis est:

Conradus Regis ad Eugenium PP. supplicatio.

\* addo m. l. suam.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Conradus, divina favente Clementia, Rex Romanorum III.

Tenor privilegii ejusdem Regis

SI Ecclesias Dei amplificamus, & earum jura regali auctoritate tuemur, & confirmamus, antecessorum nostrorum priorum Regum vel Imperatorum exempla imitatur; & hoc nobis ad Regni nostri celsitudinem, & precipue ad anime nostre salutem profuturum non ambigimus. Ea propter tam futurorum quam presentium Christi, nostrique fidelium Regnis, noverit industria, quod nobis apud Trajectum Civitatem residentibus, & de pace ac de statu Regni tractantibus, fidelis noster Hardbertus ejusdem Locii venerabilis Episcopus, Conradus frater noster Prepositus, Decanus, & Capitulum majoris Ecclesiæ dilectæ Civitatis ad nostram presentiam venerunt, nostræ Celsitudini supplicantes, ut sicut antecessores nostri, pii Romani Reges & Imperatores ipsam, Ecclesiam Trajectensem multis honoribus & privilegiis dotaverunt; sic nostra Regalis Excellentia, ipsorum vestigia imitando, dicta Ecclesia aliquam honoris prerogativam concedere dignemur. Nos itaque considerantes, quod Regalem decet Excellentiam illos honorare debere prerogativa ampliori, quorum devotionem continuis obsequiis experimur; attendentes etiam, nos & antecessores nostros Reges & Imperatores in dicta Ecclesia a fundatione ejus inter Canonicos primum Locum obtinere, nostramque prebendam in eadem duos deservire Sacrodotum, pro nostra salute, & Regni tranquillitate ac pace Dominum exorantes, & dicti Hardberti venerabilis Episcopi fidele servitium, ac dilectorum nobis Decani & Capituli grata obsequia, & devotionem frequentem, quâ nostram Regalem Excellentiam, & dilectam Conjugem nostram Gertrudim Reginam, per aliquod tempus in ipsa Civitate commorantem, plurimum honorarunt, & propter hoc volentes eandem Ecclesiam Majorem Trajectensem honoris prerogativa speciali sublimare, ob remedium anime nostre, & animarum Domini Henrici III. Avi nostri (cu-

jus viscera in ipsa Ecclesia pro pignore sunt sepulta) & Henrici IV. Avunculi nostri Imperatoris, nec non interventu dilectæ Conjugis nostre Regine predictæ, ac Conradi fratris nostri charissimi, ejusdem Ecclesiæ Prepositi, jus eligendi & instituendi Episcopum in ipsa Ecclesia, quod ad Reges Romanorum & Imperatores pertinere dignoscitur, & ab antecessoribus nostris Regibus & Imperatoribus usque ad nostra tempora est devolutum & deductum, antedictis Preposito, Decano, ac Capitulo Ecclesiæ Trajectensis, ac dilectis nostris Preposito, Decano, & Capitulo Ecclesiæ sancti Bonifacii ejusdem Locii, eidem Majori Ecclesiæ ab eorum fundatione speciali fraternitate, ut nobis innouit, conjunctis, in donationem perpetuam Regali magnificentia concedimus in donum, & damus potestatem nostram omnimodam, a nullo successorum nostrorum infringendam, ut cum Episcopatum predictum vacare contigerit, iidem Prepositi, Decani, & Capitula Majoris, & sancti Salvatoris Trajectensis antedicti, & nulli alii, nisi Ecclesiarum suarum Canonicis, Episcopum alium eligendi plenariam habeant potestatem. Ut autem hæc nostra donatio, donum, & privilegium, Regiâ magnificentia voluntariè ac liberaliter concessa, ipsdem perpetua sint, & rata credantur ab omnibus, & incorrupta omni deinceps tempore conserventur, hac in charta conscribi iussimus, manu propria, ut infra videtur, corroborantes, idoneos Testes, qui presentes aderant, subnotari, fecimus: quorum nomina hæc sunt: Anselmus Navelburgensis Episcopus. Albero Leodiensis Episcopus. Wernerus Monasteriensis Episcopus. Nicolaus Cameracensis Episcopus. Ddo Ossenburgensis Episcopus. Wabramus Dux. Wilhelmus Comes Palatinus. Henricus Comes de Zutphene. Arnoldus Comes de Clivo. Adolphus Comes de Monte. Henricus Comes de Gelre. Conradus Prepositus Trajectensis. Emo Prepositus S. Bonifacii. Conradus Tielensis Prepositus. Lambertus S. Petri Prepositus. Godefridus de Renen. Alardus de Megene. Otto Presbiterus Trajectensis. Eghertus de Amstelle. Bertoldus de Aldensele. Jacobus de Satersole. Signum Domini Conradi Romanorum Regis III. Ego Arnoldus Cancellarius vice Henrici Moguntini Archiepiscopi, & Archicancellarii recognovi, anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo quadragesimo quinto, Indictione VIII XV. Kalend. Novembr. regnante Conrado Romanorum Rege Tertio, anno verò Regni ejus VIII. Data apud Trajectum, in Christo feliciter.

Unde Eugenius PP.

Ceteraque omnia privilegia confirmat.

Christi, & Ecclesiæ exaltationem concessa, Apostolica auctoritate confirmamus, inhibentes sub anathematis vinculo, ne Imperialis, vel Regalis, vel Episcopalis, vel Clericalis, vel Laicalis persona aliqua, cujuscumque status & conditionis existat, ipsam Ecclesiam Trajectensem, contra hujusmodi Privilegium, & nostræ Confirmationis tenorem, molestare, aut in ejusdem præjudicium in præmissis quidquam in perpetuum audeat attentare; decernentes irritum & inane, si quid a quoquam in contrarium fuerit attentatum. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostræ confirmationis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum XV. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno I.

Dat. die 18. Martii anno Dom. 1145. Pontif. anno I.

II.

Elargitio Privilegiorum Monasterio S. Salvatoris Papien. Dicecesis Ordinis Cassinen. quod S. R. Ecclesiæ subiectum tantummodo declaratur.

Eugenius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto in Christo filio Oberto Abbati Monasterii S. Salvatoris secus Papiam siti, ejusque successoribus regulariter substituendis, in perpetuum.

Ex Archiep. Monast. hujus edidit Margaritus Bullar. Cassin. Par. II num. CLXVII.

AD hoc nobis a Deo Pastoralis officii sic curâ commissâ est, ut quieti & utilitati omnium Ecclesiarum paterna debeamus solitudine providere; & ne pravorum hominum fatigentur molestis, eas auctoritate nostræ Sedis communire. Quapropter, in Christo dilecte fili Oberte Abbas, tuis rationabilibus postulationibus assensum præbentes, Monasterium Domini Salvatoris, cui Deo auctore præfides, cum omnibus ad ipsum pertinentibus ad exemplum Prædecessorum nostrorum, felicitis memoriæ Joannis, Benedicti, Paschalis, Calixti, Honorii, Innocentii, & Lucii, Romanorum Pontificum, sub beati Petri tutela, & Apostolicæ Sedis defensione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus: Quod nimirum Cœnobium ab Adeleyda Imperatrice Augusta, benignissima pietate renovatum, & ejus liberalitate amplissimis possessionibus ditatum esse cognovimus; statuentes itaque, ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem Monasterium impresentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione, fidelium, sive aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant; In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Castrum Monticelli cum duabus cappellis & omnibus suis pertinentiis, Curtem Olonæ cum cappella S. Anastasii & omnibus sibi pertinentibus; Curtem Basereguticæ cum Baptistali Ecclesia in honorem sanctæ Mariæ constructa, & cappella una cum omnibus sibi pertinentibus, Curtem Frinxariæ cum cappella una & omnibus sibi per-

Exordium

Monasterium sub Sedis Apostolicæ defensione suscipit;

Bona eidem ab Imperatrice Adelaide, ceterisque fidelibus donata conquirent;

Quorum nonnulla enumerat.



pertinentibus, Curtem Melariae cum Plebe S. Michaelis, & Ecclesia S. Stephani, & S. Materni, & omnibus sibi pertinentibus: curtis Herbariae medietatem: & plebem S. Faustini, cum omnibus ad ipsas medietates, & plebem pertinentibus: Viridarium infra portam sancti Johannis, & prope Palatinam portam situm, cum duabus cappellis, una in honore sancti Laurentii, & altera in honore sanctae Mariae constructis: Curtem Garlaschi cum cappella una sanctae Mariae, cum honore, & districtu per duo miliaria in circuitu: In Maringo Ecclesiam unam in honore sancti Martini, & cappellam unam in honore sanctae Mariae constructam, cum omnibus ad ipsas pertinentibus: Cellam sanctae Honoratae cum omnibus suis pertinentiis, medietatem curtis Corianae cum cappella una in honore sanctae Mariae constructa, & cum districtu totius praefatae Curiae: Curtem Antellami cum omnibus sibi pertinentibus, curtem Armentariae eum cappella una, & omnibus sibi pertinentibus. Sane, obeunte te, nunc Abbate ejusdem Monasterii, nullus ibi qualibet subreptionis astutia Abbatem ibi eligere praesumat, nisi quem fratres communi consensu, vel pars consilii sanioris, secundum Dei timorem, & beati Benedicti regulam providerint eligendum; Electus autem a Romano Pontifice consecratur. Chrisma. Oleum sanctum, consecrationes Altarium seu Basilicarum, ordinationes Monachorum seu Canonicorum vestrorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a quo malueritis, suscipiatis Episcopo, si quidem Catholicus fuerit, & gratiam sanctae Apostolicae Sedis habuerit. Porro in Ecclesiis eidem Monasterio pertinentibus, scilicet in Ecclesia sancti Martini de Maringo, & in Ecclesia sancti Anastasii Olong, & in Ecclesia sancti Salvatoris Monticelli, Baptismum apostolica auctoritate concedimus, & in aliis Ecclesiis, eidem Monasterio pertinentibus, in quibus usque ad haec tempora constat esse celebratum. Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus, aut sumptibus excolitis, vel de vestrorum animalium nutrimentis decimas nullus Clericus, vel Laicus a vobis exigere praesumat. Usum quoque Caligarum, Sandaliorum, Chirothecarum, & Mitrae, sicut per Praedecessorum nostrorum, authentica privilegia tibi tuisque successoribus concessum esse dignoscitur, & nos ex liberalitate Sedis Apostolicae concedimus, Ad haec praesenti capitulo adjicientes, ut praefatum Coenobium sub nullius Ecclesiae ditione permaneat, sed solum sanctae Apostolicae Sedi obnoxium existat. Decernimus ergo, ut nulli Episcopo, vel alicui omnino hominum liceat, praefatum Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integre conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salva in omnibus Apostolicae Sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris

Abbatis electionem ad Monachos, Ad Rom. Pontificem consecrationem spectare decernit; Quae Ordinationi propria sunt, & quocumque Episcopo recipiendi facultatem elargitur. Baptismum in Ecclesiis Monasterii ad id olim deputatis, consecranda facienda rem impertitur. Decimas bonorum Monasterii quocumque exigi prohibet. Caligarum, Sandaliorum, Chirothecarum, & Mitrae usum Abbatibus concedit; Monasterium vero S. R. E. tantummodo subditum declarat. Solae conclusiones.

nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat; Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen.

Eugenii PP. & S. R. E. Cardd. subscriptiones.

EGO EUGENIUS Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Ego Theodewinus sanctae Rufinae Episcopus ss.

Ego Conradus Sabinensis Episcopus ss.

Ego Petrus Albanensis Episcopus ss.

Ego Gregorius Presbyter Cardinalis tituli S. Callisti ss.

Ego Guido Presb. Card. tit. S. Chryzogoni ss.

Ego Ubalduus Presbyter Card. tit. S. Crucis in Hierusalem ss.

Ego Villanus Presb. Card. tit. S. Stephani in Caelio Monte ss.

Ego Gregorius Diaconus Cardinalis tituli sanctorum Sergii & Bacchi ss.

Ego Otto Diaconus Cardinalis sancti Georgii ad Velum aureum ss.

Ego Guido Diaconus Card. tit. SS. Cosmae & Damiani ss.

Ego Octavianus Diaconus Card. S. Nicolai in Carcere Tulliano ss.

Ego Joannes Diaconus Card. S. Mariae Novae ss.

Datum Viterbii per manum Roberti S. R. E. Presbyteri Card. & Cancellar. VIII. Kal. Maii Indictione VIII. Incarnationis Dominicae anno MCXLV. Pontificatus vero Domini Eugenii III. Papae anno I.

III. Simile privilegium Monasterio sancti Petri Perusinae Diocesis ejusdem Ordinis.

Eugenius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis, Bernardo Abbati Monasterii sancti Petri, quod secus Perusinam Civitatem situm est, ejusque fratribus, tam praesentibus quam futuris regularem vitam prof., in perpetuum.

Desiderium, quod ad Religionis propostum, & animarum salutem pertinere monstratur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, atque praedecessorum nostrorum vestigiis inharentes, praefatum Monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, Apostolicae Sedis privilegio communimus; Statuentes, ut quascumque possessiones, quocumque bona idem Locus impresentiarum iuste & legitime possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Principum, oblatione Fidelium, seu aliis iustis modis, Deo propitio, poterit adipisci, vobis vestrisque successoribus firma & illibata permaneat, tam in Ecclesiis, quam in Cellis, curtibus, plebibus, monasteriis, fundis, atque casualibus; in quibus utique haec propriis nominibus duximus exprimenda: Plebem sancti Constantii, sancti Rufini, sancti Martini, & sancti Joannis: Plebem sancti Martyrii: Ecclesiam sancti Benedicti in Agellione cum suis perti-

Exordium. Ex Arch. Monasterii hujusmodi. Ex Handed. Hist. Saluburg. T. III. Exordium. Monasterium sub protectione Sedis Apostolicae suscipitur. Bona omnia ac donationes eidem confirmantur.

nentis, Ecclesiam sancti Iustini cum curte sua, Ecclesiam sancti Andreae & sancti Angeli de Aliano cum suis pertinentiis, Ecclesiam sanctae Mariae in Petiniano & sancti Clementis, Curtem de Casale, Curtem de Petroniano, & quod vobis pertinet de Curte & Ecclesia sancti Donati in Civitella: Nec non terram Hugonis Nepotis Bernonis de Monte nigro. Apostolicę quoque Sedis tibi munimine confirmamus Ecclesias sanctorum Appollinaris, Blasii, & Montani cum suis pertinentiis: salvo annuo censu Farfensis Ecclesiae. Quin etiam confirmamus Massas tres, in Comitatu Perusino positas, unam, quę vocatur Pufulo, alteram Filontio, & aliam quę nuncupatur Casalina, cum Ecclesiis, casis, vineis, campis, ortis, montibus cultis, & incultis, & omnibus suis pertinentiis, Monasterium sancti Angeli in Comitatu Assisinate in loco, qui dicitur Limifano, cum cellis, cappellis, & omnibus sibi pertinentibus, Ecclesiam sancti Arcangeli, sitam juxta lacum Perusinum, Monasterium sancti Salvatoris in Potale, Monasterium sancti Petri in Poliano cum universis eorum pertinentiis, Ecclesiam sancti Silvestri in Murcelle, Ecclesiam sancti Donati, jus quod habetis in Agello, Ecclesiam sanctae Mariae in Podio cum suis pertinentiis, Ecclesiam sancti Pauli in Monticello, Ecclesiam sancti Petri de Petroniano cum curte sua, Hospitale quoque, quod ante portam sancti Petri situm est, quemadmodum a praedecessore nostro fel. mem. Papa Lucio vobis restitutum est: salvo jure Dominici Sepulchri, Castrum, quod vocatur Fraeta filiorum Azonis. Sane Chrisma. Oleum sanctum, Consecrationes Altarium, seu Basilicarum, Ordinationes Monachorum, qui ad sacros Ordines fuerint promovendi, & Clericorum ad idem Monasterium pertinentium, a Dicecesano accipietis Episcopo; si quidem Catholicus fuerit, & si ea gratis ac sine pravitate voluerit exhibere: alioquin, liceat vobis Catholicum, quem malueritis, adire Antistitem, qui nimirum nostra fultus auctoritate, quę postulatis, indulgeat. Obeunte vero te, nunc ejusdem Loci Abbate, vel tuorum, quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia praeponeatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum, pars consilii sanioris, secundum Dei timorem, & beati Benedicti regulam elegerint, a Romano Pontifice consecrandum. Missas autem publicas in eodem Monasterio per Episcopum fieri, vel stationes, aut ordinationes aliquas celebrari, praeter Abbatis ac fratrum voluntatem, omnimodo prohibemus; ne in fervorem Dei recessibus occasio popularibus praebatur ulla conventibus. Nec ulli Episcopo facultas sit, praeter Romani Pontificis conviventiam, idem Coenobium aut ejus cellas gravare, interdicere, vel excommunicare, seu exactiones novas imponere; nec secularium procerum cuiquam liceat, fodrum, vel aliud servitium ab eodem Monasterio, aut ejus pertinentiis extorquere: salvo nimirum jure ac dominio Sanctae Romanae Ecclesiae. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat eandem Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, seu injuste datas suis usibus vendicare, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione

tionem concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat; Cunctis autem eidem Loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic bonae actionis fructum percipiant, & apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen.

Eugenii PP. & S. R. E. Cardd. subscriptiones.

EGO EUGENIUS Catholicae Ecclesiae Episcopus ss.

Ego Theodewinus sanctae Rufinae Episcopus ss.

Ego Conradus Sabinensis Episcopus ss.

Ego Gregorius Presb. Card. tit. S. Callisti ss.

Ego Guido Presb. Card. tit. S. Chryzogoni ss.

Ego Rainerius Presb. Cardinalis tit. S. Priscae ss.

Ego Guido Presb. Card. tit. SS. Laurentii & Damiani ss.

Ego Nicolaus Presb. Card. tit. S. Cyriaci ss.

Ego Manfredus Presb. Card. tit. S. Sabinae ss.

Ego Julius Presb. Card. tit. S. Marcelli ss.

Ego Greg. Diac. Card. tit. SS. Sergii & Bacchi ss.

Datum Viterbii per manum Roberti sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis & Cancellarii, VII. Kal. Maii Indictione VIII. Incarnationis Dominicae anno MCXLV. Pontificatus Domini Eugenii III. Papae anno I.

IV. Confirmatio donationum, a Germaniae Proceribus, Episcopis, ceterisque factarum Monasterio Schyrensi in Bavaria, cui nulla conceduntur privilegia.

Eugenius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis, Ulrico Abbati Monast. S. Mariae Schyren, quod in Episcopatu Frisingensi situm est, ejusque fratribus tam praesentibus, quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Religiosis desideriis dignum est facilem praebere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Hujus rei gratia, dilecti in Domino filii, Praedecessorum nostrorum felicitis memoriae Paschalis & Callisti Romanorum Pontificum vestigiis inharentes, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Beatae Dei genetricis semperque Virginis Mariae Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & praesentis scripti patrocinio communimus; Statuentes, ut quascumque possessiones, quocumque bona impresentiarum iuste atque canonicè possidetis, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, liberalitate Principum, oblatione fidelium, sive aliis iustis modis poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneat. Locum Vispachave & Usinhoven, in quibus prius habitastis, sicut per praefatos

Chrisma, sacros Ordines, aliaque hujusmodi ab Episcopo Dicecesano per Monachos suscipi jubet; Abbatibus autem electionem ad solos Monachos spectare decernit; consecrationem vero ad Rom. Pontificem; Missas ab Episcopo celebrari, Stationes Ordinationesque in Monasterio haberi ab Episcopo; Decimasque ex bonis illius quocumque occasione exigere prohibet; Solae conclusiones.